



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Distinctio inter dubium juris & dubium facti nihil facit ad hanc rem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



affirmat, solùm peto : an ergo in Pænitentiæ Sacramento, cujus quasi materia sunt actus ipsius pænitentis, sufficere existimet, etiam nullâ urgente necessitate, uti materiâ ex qua ipsius Sacramenti pendet subsistentia, dubio juris ambigua? Hoc si putat, nullo aut fallaci fundamento nititur, Sed hoc relinquamus.

## §. II.

*Distinctio inter dubium juris & dubium facti nihil facit ad hanc rem.*

**C**Lariùs mentem suam exprimit, dum dubium est facti: *Si est questio facti, inquit, V. G. an pænitens jam de facto habeat veram attritionem, tunc minister debet esse contentus materiâ probabili, nimirum protestatione pænitentis, quia in hac certa haberi non potest.* Hæc imprimis distinctio non attenditur dum materia sensibilis est. Hanc enim sive juris sive facti dubio ambiguum ad Sacramentorum confectio- nem citra necessitatem assumere generaliter est illicitum; ergo & dum illa non sensibilis est, sed interna seu moralis: non enim unum Sacramentum licet & alterum non licet, necessitate seclusâ, nullitatis periculo exponere. Non minus au-



tem hujusmodi periculo exponitur dum facti quàm dum juris est dubium.

Sed urget Appendix, internam materiam in quæstione facti non posse certam haberi. v. g. an pœnitens de facto habeat veram attritionem. *Tunc, inquit, minister debet esse contentus materiâ probabili nimirum protestatione pœnitentis; quia in hoc certa haberi non potest; eò quòd confessarius non possit videre dispositionem cordis ipsius pœnitentis, sed debeat ei credere tam pro quàm contra se loquenti.*

Vult ergo protestationem pœnitentis materiam hîc facere probabilem, nempe hoc uno excepto, uti superiùs dixerat, dum moraliter certò constat contrarium. Sit ergo pœnitens rudis, & ut propriam dispositionem, an ad justificationem sufficiat, dijudicet, imperitus; sit conscientiæ suæ incurius; fuerit hactenus peccatorum consuetudini inveteratus, & eorum voluptatibus toto animi affectu agglutinatus; sit recidivus & cadendi & confitendi vices sine parvo quoque correctionis fructu jam diu alternaverit: quisquis deniquè sit, quæcumque circumstant, unde vel indispositus ostenditur, vel debita ejus dispositio sit ambigua, dummodo ad moralem ejus indispositum

posu-



positionis certitudinem non ascenditur, satis est juxta Appendicem pœnitentis protestatio, ut legitima ejus dispositio judicetur probabilis eâ probabilitate quæ confessario sufficere debet, quâque in omni casu eum oportet esse contentum. Hoc probabiliter dictum non arbitrator.

Est quædam negativa probabilitas multis propositionibus conveniens eò quòd convincenti argumento falsæ monstrari non possunt; licet pro se & sua veritate non habeant positivum alicujus considerationis fundamentum. Hoc modo non paucae censentur probabiles, non ob aliud quàm quod defendi possint, aut hoc aut isto loco defensæ sint. Ad illam quippe defensionem, satis est oppugnantium argumenta dissolvere, quod fieri potest & ab iis qui pro veritate propositionis defensæ nullum fundamentum habent proferre. Hujusmodi proindè probabilitatis genus certum est ad morum regulam nequaquam sufficere. Nam etiam scholastici Doctores qui præcipuè nuperis temporibus probabilium usum propugnarunt, communiter id ad illa probabilia restringunt, quæ notabili ratione aut gravi autoritate nituntur.



Hanc ipsorum doctrinam nunc non examino : impræsentiarum satis est , eorum etiam iudicio , negativam illam & puræ defensionis probabilitatem ad morum regulam non sufficere. Minus ergo illa eis sufficeret ad Sacramentorum usum , cum ad illum non satis esse censuerint suum probabile quod pro moribus voluerunt sufficere.

Hujusmodi negativam probabilitatem non inficior ex pœnitentis protestatione sufficientiæ suæ dispositionis competere; scilicet dum ea quæ obstant morali certitudine non concludunt contrarium. Ast hoc aliud non est, quàm pœnitentem ob suam protestationem sic dici posse ritè dispositum ut oppositum non possit certò convinci. Cum ergo hac in re , ut sæpè dictum est, auctoritas ejus haud rarò nullius aut parvi sit momenti, & ex variis sæpe circumstantiis admodum suspecta; hæc quoque ejus protestatio frequenter non est grave motivum , ut ob eam sufficientia ejus dispositionis censi possit probabilis eâ probabilitate quæ competere debet propositioni ut juxta præfatos Scholasticos Doctores ad praxim possit assumi. Cum itaque omnem pœnitentis protestationem , excepto solo dum  
morali



moraliter certò constat contrarium, velit Appendix confessario debere sufficere; in Sacramentorum administratione asserit licitum quod juxta præcipuos probabilium usûs defensores nec in moribus est concessum.

At pone ejusmodi auctoritatis pœnitentem, ut ejus protestatio per se notabile motivum sit ad quod probabiliter judicari possit ritè dispositus. Nec sic Appendix audienda est, neque generaliter verum est pœnitentis protestatione ministrum debere esse contentum. Quid si enim majoris, æqualis aut fere æqualis ponderis motivum stet pro opposito? Tunc rectè dictâ protestatione (justæ necessitatis casum semper excipio) minister non solum non debet, sed nec potest esse contentus. In hoc enim concursu ejusmodi motivi contrarii pœnitenti prudenter assentiri non potest, aut eum credere ritè dispositum. Quod sic breviter ostendo.

